

## **Werk**

**Titel:** Copiosissima Evangeliorum Dominicalium Expositio

**Autor:** Bakius, Reinhardus

**Verlag:** Lungius; Schmidius

**Ort:** Lübeck; Schleusingae

**Jahr:** 1640

**Kollektion:** VD17-nova

**Werk Id:** PPN616188471

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN616188471> | LOG\_0008

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=616188471>

## **Terms and Conditions**

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.

For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## **Contact**

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

## Dominica III. Adventus,

Evangelium, Matth. II. Luc. 7.



Um audisset Johannes in carcere facta Christi, missis duobus discipulis suis, dixit: Tu es ille, qui venturus est, an alterum expectamus? Et respondens Jesus dixit illis: Ite & renunciate Johanni ea quæ auditis & videtis: Cæci visum recipiunt, & claudi ambulant, Leprosi mundantur, & surdi audiunt, Mortui excitantur, & pauperes letum accipiunt Evangelium. Et beatus est, quisquis non fuerit offensus super me. Euntibus autem illis, cœpit Jesus dicere turbis de Joanne: Quid existis in desertum ut videretis: Num arundinem, quæ agitur à vento? Age, quid existis ut videretis: Num hominem mollium, vestibus amictum? Ecce qui mollia gestant in domibus regum sunt. At quid existis videre? Num Prophetam? Certè dico vobis & excellentiorem Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce ego mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui preparaturus est viam tuam ante te.



Messia manus,  
Os & forma.



**R**egius Psaltes in Psal. 45. Messiam vivis quasi coloribus depingens, 1. *manum* ejus format ut valde *miraculosam* v. 5. *intende prospere procede & regna, & dextera tua TREMENDA perficiet.* 2. *Os & linguam* ejus delineat ut valde *gratiosam*, v. 3. *Speciosus pro filiis hominum effusa est GRATIA in labiis tuis.* 3. *Formam* ejus describitur ut valde *contentam & arumnosam* v. 9. *Mirra & Aloe & casia omnia vestimenta tua:* quorum omnium sensus hic est, *Dass der Herr Messias unzweifelich seyn werde / 1. Ein sehr herrlicher Wunder-Mann / 2. Ein vortrefflicher Trost-Prediger / 3. Ein verachteter vnd vnanschnlicher Sündenträger.* Comprobat idem, & hoc Davidis vaticinium quasi complet. *hod. Evang. ubi Christus Servator discipulis Joannis identidem monstrat. Manum suam miraculosam, dicens: Ite & renunciate Joanni que vidistis: Cæci vident, Claudi ambulant, Leprosi mundantur, &c.* 2. *Linguam suam gratiosam:* Pauperibus Evangelizatur. 3. *Formam suam servilem & contentam:* Beatus qui non scandalizatus fuerit in me. Attendamus itaque *dextra Christi miraculosa*, attendamus *lingua ejus gratiose*, ne scandalizemur *in forma ejus contenta & arumnosa*, sed *Baptistam imitantes*, juxta *hod. Epistolæ montium.* (1.) *Simus Christi σωτήριου & Dei Oeconomi, simus (2.) FIDELIS usque ad mortem, nec (3.) moveamur vano profani mundi judicio, cum Christus ad cælum laudibus ejus extollat, quos mundos ad carcerem remittit, &c.*

Harmonia Ev-  
ang. & epl.  
1. Cor. 4.

**Joannes autem in vinculis:** ] Infelix sane *hod. Evang. exordium*, quod incipit à Carcere, eo que latis squalido, idco hic dicitur *δεσμοθέλιον*, à verbo *δεσμεύω* vincio, unde & vulgata habet: **IN VINCULIS**, nec immerito, licet enim *Matt. 14. v. 3.* hic carcer dicatur *φυλακή* custodia, id tamen propterea fit, quod Baptista compedibus ac vinculis probè, ne elaberetur, est custoditus, idco præmittitur in *Matthæo Ἡρώδης ἀποτὸν Herodes vinxerat Joannem, & Syrus consentit, quando custodiam Baptistæ nominat, ΒΗΘΩΝ ΒΗΘ Beth Asire: domum vincitorum.* Fuit autem Baptista vir omnino sanctus, primarius in *Choro virginum*, primarius in *Choro Martyrum*, primarius in *Choro Prophetarum*, Amicus Sponsi, *Joh. 3.* præcursor Christi *Esa. 40.* angelus Domini *Mal. 3.* lumen ardens, *Joh. 5.* Elias alter *Mal. 4.* inter natos mulierum maximus, *Matt. 11.* vel, ut *Petrus Chrysologus Ravenas* addit: *Joannes Schola virtutum, vita Magisterium, sanctitatis forma, justitia norma, virginitatis speculum, pudicitie*



titulus, castitatis exemplum, &c. Talis itaque & tantus vir, quid agit in  
 fordido carcere? cur peccatorum vinculis alligatur, qui in vincula peccatoris  
 solverat? cur venia vincula est, ne venia locus relinquatur? &c. dixerat Joannes  
 Scapham Scapham, & ligonem ligonem, nominarat adulterum, & qui-  
 dem cum fiducia in medio foro, juxta Chrysoft. incestuosum Herodem,  
 infanticidæ illius Aſcolanitzæ filium, qui ut flagitiis benè multis insignis  
 erat, Luc. 3. 19. ita etiam incestuosas celebrarat nuptias cum Herodiade,  
 conjuge fratris sui Philippi illiusque vel vivi adhuc, quod putat Chryf.  
 hom. 48. in Matth. vel jam demortui, ut mavult Tertull. l. 4. cont. Mar-  
 cionem, quem incestum, Deut. 25. Lev. 18. & 20. expresse prohibitum,  
 cum Ioannes debito zelo reprehenderet, incarceratus est & tandem de-  
 collatus, in arce Macharon, quæ vox non incommode *Gladium* significat,  
 cum Baptista ibi Herodis senſerit Enſem. Fuit autem Macharon inſi-  
 gne fortalitiū, ædificiū, poſt Hieroſolymam, nulli cedens arci, in tota  
 Palæſtina, ſitum in præcelſo monte, 5. mill. Hieroſolymis, Orientem  
 verſus, diſtans, Plin. l. 5. c. 16. foſſas habuit tam profundas, ut ſine verti-  
 gine inſpicere nemo eas potuerit, muris cinctum erat craſſiſſimis, qui-  
 bus impoſitz turres altitudinis 160. Ulnarum, ſed ob Baptiſtæ inno-  
 centem mortem, hæc Latronum ſpekunca, in vaſtatione Urbis Hiero-  
 ſol. etiam ſolo æquata eſt, per nobilem Romanum *Lucium Baſſum*, qui in  
 Macharon trucidavit 1700. Viros, captivatis liberis & mulieribus Jo-  
 ſeph. de bello Jud. l. 2. c. 25. ¶ Obſervemus hîc l. *Veritas atern valde ama-  
 ram eſſe & amaritudine certo repleti illos, qui eam docent*, id quod Hieron. dixit  
 l. 2. *adverſus Iovin.* hinc Herodis aula, poteſt quoviſ tolerare miniſtros,  
 etiam ſpeculatores, Liçtores & Carnifices, ſed Ioannem veritatis præco-  
 nem ferre non poteſt, uſque adeo: *Invida veraces non amat aula viros*, præ-  
 fertim tales *Aulæ, quas jura, pudor & conjugii Sancta fides effugiunt*, juxta *Se-  
 nec. in Agamem.* Incidit hîc, quod aliquando D. Mylius b. m. Wittebergæ  
 dicebat in expoſ. hod. Evang. Se videlicet olim vocationem habuiſſe in  
 quandam Principis aulam, quam ut diſſuaderet D. Gerlachius, ipſius  
 præceptor, quæſivit: Myli, Concionator Aulicus in quo prædicamen-  
 to? cui cum ille reſpondiſſet: In prædicamento ſubſtantiz, renuit Ger-  
 lachius dicens: *Prædicatorem aulicum nullius eſſe prædicamenti*, quia ſi veri-  
 tatem dicat, ipſum quidem ſyncerum Concionatorem eſſe, at non Con-  
 cionatorem aulicum, cum in aula veritas valde odioſa ſit, *Wer zu Hoff-  
 die Wahrheit geige / dem ſchlage man die Siedel vnzweiffelich vmb die Oh-  
 ren:*

Macharon arx.

Veritas amara.

Concionator  
aulicus in nullo  
prædicamento.



ren : Sin veritatem reticeat, ipsum quidem Concionatorem Aulicum esse, sed non verum ac syncerum Concionatorem, cui omnino incumbit, ut veritatem loquatur. Hæc quidem sæpius ita se habent & verè aulicum est Pilati illud : *Quid est veritas?* interim tamen, cum Christo & Baptistâ simus veraces, Matth. 22. nihil dicamus contrâ, sed omnia pro veritate, 2. Cor. 13. v. 8. defendamus veritatem usq; ad mortem & Dominus pugnabit pro nobis, Syr. 4. v. 30. & 33. ¶ II. Videmus pios non rarò vincula & carcerem expectare, Act. 20. v. 24. Sic *Baptista* in carcere delitescit per annum & 3. menses, eandem fortunam expertus est *Iosephus*, Gen. 39. *Psal.* 105. *Micheas*, 1. Reg. 22. *Jeremias*, Cap. 32. *Petrus*, Act. 12. *Paulus & Silas*, Act. 16. *Doctores prima Ecclesia*, Apoc. 2. v. 10. Anno 1620. 6. Decemb. quando hæc scripti anni sunt, 205. quando *Hussius* incarceratus & post menses 7. integros demum exustus est : Sic *Hieronymus Pragensis*, in carcere vel maximè tenebroso victus mansit, diebus 340. biduo post *Hussium* *Vulcano* traditus. Sed vè tibi ô Munde perversissime! qui in carcerem duxerit, utiq; in (*gehennæ*) carcerem ibit, Apoc. 13. v. 10. interim vincula, ut *Babylas* putabat, pijs gloriosa sunt, Eph. 3. v. 13. faciunt ad Evangelii profectum, Phil. 1. v. 13. breviter : *Tormenta, CARCER, ungula, stridensq; flammis Lamina - atque pœnarum ultima Mors, Christianis ludus est, Prudent.* Baptista enim *Paulus* & alius veritatis præco ligari potest, Evangelium de Christo vinciri non potest, 2. Tim. 2. v. 9.

Cum opera Christi au diffet. ] At in tenebroso carcere & vinculis quî potuit audire de Christo? *Rud. Ardens* respondet: *Credendum quod à revelante Spiritu*, sed his opus non est, cum olim humaniores gentes non ita abijcerent homines in imas turres, ut sit apud nos, tantum custodiebantur captivi locis, in quibus adiri poterant, talis erat carcer *Josephi*, in quo super alios captivos habebat inspectionem, Genes. 40. talis erat custodia libera *Pauli*, in qua *Festus* & alios docuit, Act. 26. imò tales Custodiæ hodieq; sunt *Pragæ* & alibi, ubi unà multi sedent, colloqui possunt, accedunt & alii foris, qui cum captivis sermones conferunt, & narratur in *Demosthene Æschinem*, cum in carcere esset, fuisse à reliquis captivis excommunicatum, ut nemo comederet cum eo, nemo lychnum ei accenderet, Unde apparet etiã captivos habuisse suam quandam politian, erat enim Carcer olim Custodia tantum, sicut & *Jure Consulti* dicunt, *Carcerem custodiam esse debere non cruciatum.* Audiit itaq; *Baptista* à suis discipulis sæpiusculè ipsum visitantibus de Chri-

Carcer: quare  
doq; pios expo-  
nas.

Libera *Johannis*  
custodia.



Christo, qui jam varia passim miracula ediderat, cum primis verò resuscitaret filium Viduæ in Nain, ut manifestum ex Luc. 7. v. 17. 18. ¶ Videmus hic pios solido in cruce Solatio nunquam destitui, Joannes in carcere quidem delitescit, morti vicinus, at innotescit ipsi Christum etiam mortuos resuscitare posse, qui ergò præsentem Baptista mortem timeret? quin imò omnes curas consideratione *Operum Christi* depellit: In squalido calamitatum Carcere nos idem faciamus, recordemur & *verborum & Factorum Christi*, inde perennis consolationum nunquam deficientium rivus fluat: Annon egregium Dei opus, quod *Iosephum* ex Carcere liberavit? annon jucundum Dei opus? quod *Ieremiam* ex foetido lacu extraxit? Annon pulchrum Domini opus, quod *Danielem* inter leones salvum conservavit? annon opus consolatione plenissimum quod tres viros in furno Babylonis protexit? annon Dei opus æternâ dignum memoriâ, quod *Grynaum* Spiræ per Angelum de præsentissimo admonuit periculo? quod *Mylium* Augustæ ex hostium manibus liberavit? quod *Odontium* in Austria mirabiliter tutatus est? &c. Hæc hæc sunt illa Christi OPERA, quæ cum Baptista in cruce meditari fas est, verè enim magna sunt & maxime consolabilia Domini OPERA, quæ ea considerat, merum inde beneplacitum haurit, Psal. III. v. 2.

*Pii efficaci nunquam destituntur solatio.*

Misit duos ex discipulis. ¶ Syrus habet: *misit per discipulos*, in Luca dicitur: & *convocavit* (Syr. *advocavit*) *duo nra* duos quosdam, unde colligo duos hos ex discipulis Baptista primarios fuisse, & putant quidam per hos Judæos & gentes repræsentari: Clemens Alexandrin. dicit, *Silam* fuisse & *Carpum*: Alii dicunt unum ex his fuisse *Andream*, Simonis Petri fratrem, qui postea Christi factus sit Apostolus: Alii huc referunt Typum *Iosua* & *Caleb*, Num. 14. optimum est sentire, duos esse missos, propter testimonii sufficientiam, cum in ore duorum & trium omne verum consistat, Deut. 19. v. 15. Matth. 18. v. 16. Patet autem ex omnibus circumstantiis, aliquem inter Ioannis discipulos dissensum esse exortum; Cum enim resuscitatio filii Viduæ in Nain tam excellens esset miraculum, ut nongentis post Elisæum annis tale quid in Israel non contigisset, idèd Baptista quidam discipuli per alia Christi miracula moti quidem sunt, sed per hoc plane permoti, ut verbis Præceptoris sui paulatim assentirent, & non Iohannem sed Christum, qui etiam mortuos resuscitare posset, pro Messia agnoscerent: Sed alii his contradicebant regerentes: Mortuum quidem excitare magnum esse, inter-



rim tamen se idè Christum pro Messia agnoscere nondum posse, quod ipsius paupercola conditio non quadraret ad illa, quæ Prophetæ de magnifico Messia regno (quod ipsi mundanum putabant) conscripserunt, proindeq; Præceptoris Ioannis decisionem hic audiendam esse. Verùm cum Baptista sciret se aliquoties laterem lavisse & testimonio suo parum profecisse, ideo negotium ad ipsum Christum devolvit simulq; illi suos commendat discipulos, ut *providus Pater liberos Tutori consignat moribundus, Autor Imperf. Operis*. Ut enim Moyses morti vicinus Israelitas quasi remisit ad Iosua, qui eos in terram benedictionis duceret, Deut. 31. Ita Ioannes Domino Iesu suos itidem commendat in cœlestem patriam introducendos, agens in eo ut fidelis *Signifer*, qui si vexillum gestare amplius non valeat, alteri fideliter illud commendat: Sic Ioannes *vexillum suum Agno Dei insignitum*, ad Christum ducem, iam immolendus devolvit, Cyrill. l. 2. Thef. c. 4. Discamus: ¶ I. Magistris & amicis constantiam exhibere in omni adversitate, sicut enim rogus aurum & cursus equum, ita adversitas amicum probat, unde sapiens: non agnoscitur in bonis amicus & non absconditur in malis inimicus, Syr. 12. v. 8. Equidem: *Donec eris felix multos numerabis amicos*, Aber Freund in der Noth / der gehen viel auff ein Loth / sols denn ein harter Standt seyn / noch mehr gehen ihr auff ein Quentlein / sed ut Ioannes in carcere etiam à suis non deseritur, ita etiam nos constantes simus: *Quia dens putridus amicus in via deficiens*, Prov. 25. v. 18. ¶ II. Discamus si in vinculis, si in infirmitate, si in aliquo impedimento detenti quando fuerimus, familiares pro nobis ad Ecclesiam mittamus, qui bona ibi dicta vel facta nobis manifestent, Rud. Ardens. ¶ III. Discamus recte sentientium aliqualem discordiam non statim fidei concordiam tollere. Pontificii nobis semper obijciunt discordiam, ex paucorum dissensu colligentes, Spiritu vertiginis nos regi nostramq; doctrinam propterea *πλύμορφος* & in multas divisam sectas esse, verum annè doctrina Baptistæ in dubium idè vocari potest, quod ejus discipuli dissentiant & alii pro Messia Christum agnoscunt, alii minus? Demonstratum à nostris multoties est, vigere in Ecclesia Lutherana veram Concordiam eamq; triplicem: *Canonicam* videlicet, juxta quam doctrina nostra Canonicis Prophetarum & Apostolorum scriptis per omnia consentit; *Ecclesiasticam*, quam cum purioribus Ecclesiæ Doctoribus & Sanctis Patribus convenimus & c. *Fraternam*, qua consentimus cum nostris Fratribus, testantibus id libellis

*Erga amicos firmus fideles.*

*Ecclesia preces non contemnenda.*

*Externa discordia fidei concordiam non tollit.*



Bellis nostris Symbolicis, quales sunt Symbolum Apostolicum, Niconum, & Athanasianum, Augustana Confessio cum Apologia, Articuli Schmalcaldici, Catechismi Lutheri, declaratio undecim articulorum, quæ omnia uno nomine appellamus Formulam Concordiæ, cui qui non subscribit, eum pro fratre verè Lutheranò non agnoscimus: Contra monstratum est à nostratibus Papistarum Concordiam esse *Satanicam*, esse *Politicam*, esse *Beluinam*, esse *Ischarioticam*, esse *Tyrannicam*, esse *Herodianam*, esse *extrinsecam* saltem & *accidentalem*, quæ genuerit Theologiam jam *Lombardicam*, jam *Thomisticam*, jam *Interimisticam*, jam *Lesuiticam*, quæ hodie viget & in multis tum prioribus, tum sibi ipsi contradicit, videantur: *Osiandri Papa non Papa*, *Hunnii Labyrinthus*, *cum primis verò Anti Lesius Meisneri part. 2. p. 297. & seqq.* Manemus itaq; in nostra concordia monemusq; seriò, ut omnis dissensus, quantum quidem fieri potest, vitetur & fugiatur, *cum Sinistra non tam dextri à opus sit*, quam Ecclesiæ docentium concordia, proinde: *Cedite vesani quibus est discordia cordi:*

*Sint unum, doceant unum, fateantur & unum;*

*Sint unum, maneant unum, moriantur & unum,*

*Vnum qui Christi nomine nomen habent.*

IV. Discamus fidelem in Ecclesia Doctorem non debere discipulos etiam volentes sibi astringere, hæc enim luporum nota est, Actor. 20. v. 30. sed quia unus Magister est, Matth. 23. v. 8. ad ipsius utiq; vocem audiendam præparandi sunt discipulorum animi, facit hoc Baptista, qui cœlitus audiverat illam vocem: HUNC AUDITE, ideò etiam vult ut ipsius discipuli Christum præ se audiant: Fecit idem Paulus, qui testatur se Corinthios uni adducere Viro, 2. Cor. II. v. 2. & alibi vult ut Corinthii adhæreant, nec Petro, nec Paulo, nec Apollini, sed soli Christo pro ipsis mortuo, 1. Cor. I. v. 12. Ideoq; quando Jodocus Nahumius in exposit. hod. Evang. scribit: *Sacrilegi sunt qui homines ad Papam, ad Lutherum, ad Zvinglium aut Calvinum deducunt, hi enim errare possunt, hi pro nobis crucifixi non sunt, ideò Christo errare nescienti & pro nobis crucifixo discipuli sunt adducendi, &c.* Tunc poteramus totum concedere, & profecto largimur eos maledictos esse, qui homines ad Calvinum ejusq; doctrinam deducunt; sed cum Calvinista eò intendat digitum, ut putet homines non sine sacrilegio à Christo abduci, si à Luthero Lutherani, & à Calvino Calviniani dicantur ideò Respondemus: 1. Si sacrilegium est

*Auditores nostros Christo adducamus.*

à Do-



à Doctore aliquo dominari, tunc utiq; & Sacrilegi erunt Baptistæ legati, qui in hod. Evangelio expressè *discipuli Ioannis* dicuntur, cum tamen Joannes pro ipsis crucifixus non erat. 2. Si Nahum putat, eos qui Lutheri doctrinam sequuntur, non posse sequi Christum, probet hos discipulos non fuisse secutos Christum, cum doctrinam Johannis sequerentur. 3. Si homines ab Antesignano denominare Sacrilegium est, cur ipsi Calviniani Pontificios nominant à Papa Papiſtas? Proinde 4. ut vetus Ecclesia à Jacobo dicta est *Isralitica*, ut Baptistæ discipuli ad differentiam Pharisaorum & Sadducæorum dicebantur: *Iohannai*, ut nova Ecclesia ab Apostolis dicta, est *Apostolica*: Sic etiam nequaquam nos pudent quod à Luthero *Lutherani* vel Lutheri discipuli dicimur, quia Lutheri doctrinam, ex sacris literis solidè deductam sectari; hoc est ipsum Christum sequi: Contra vero ut olim *Nicolaitæ*, Apocal. 2. v. 6. *Macedoniani*, *Ariani*, *Nestoriani*, à suis Doctoribus dicti sunt, sic etiam à Calvino rectè Calvinistæ dicuntur illi, qui libenter *Christianorum*, *Orthodoxorum*, *Reformatorum*, &c. titulis superbirent.

Tunc es qui venturus est, an alterum expectabimus? ] Vides veritatem premi at supprimi non posse, Joannes erat lumen ardens, Johan. 5. quam libenter Herodes sub modio illud adscandisset? Sed Baptista instar candelæ rimas quærit, per quas elucet ac longe majori lumine suum illustrat Carcerem, quàm fuit illud quod Petrum incarceratum circumfulsit, Act. 12. imò Joannes *merula* est suavissima, (vox turturis audita in terrâ sancta, Cant. 2. v. 12.) hanc aviculam quia Herodes cavæ quasi inclusit, ideò cantillat eòsuavius de VENTURO suo. Ponderemus nonnihil verba: Syrus ita habet: *Tunc is es qui venturus ERAT, an ALIOS expectamus?* Versio Reg. ἐρχόμενον vertit: *Veniens, Tunc es veniens*: ἐξέρχεται αὐτῶν, *expectamus*; pro *expectare debemus*, per Hebraismum usitatissimum, ideò Luth. rectè: *sollen wir etines andern erwarten*: ἐπερον hic idem est quod ἀλλοῦ, qua etiam vocè Lucas usus est: quærit itaque Baptista non per definitum: *Tunc es Messias?* sed per definitionem Judæis omnibus notam: *Tunc es Venturus ille?* Ita enim descriperat Messiam Jacob: Non auferretur sceptrum, donec VENIAT qui VENTURUS est, Gen. 49. ita descriperat enim David: Ecce VENIO, Psal. 40. ita Haggæus: tunc VENTURUS est desideratus gentium, Hagg. 2. ita Malachias: Tunc VENTURUS est ad templum sanctum suum Dominus. Ecce venit, Mal. 3. Ita Esaias: Ecce VENIT DEUS vester, ipse salvabit vos, Esa.



35. v. 4. imò ita describunt Mesiam Judæi : *hic certe est Propheta in Mandum VENTURUS*, Joh. 6. v. 14. & Martha dicit : *Tu es filius Dei venturus in mundum*, Joh. II. v. 27. imò Baptista alibi : *ὁ ἀνοίξεν, ἐρχόμενος, Venturus è supernis est super omnia*, Johan. 3. v. 11. Sensus itaque hujus ζήτηματ<sup>ο</sup> est juxta Granatensem : *Tune es ille quem Propheta VENTURUM prædixerunt ? quem Sibylla cecinerunt ? quem Patriarchæ figuris adumbrarunt ? quem omnia secula desiderarunt. Tune es venturus ad Deum placandum ? ad homines redimendos ? ad Daemonum potentiam comprimentiam ? Tune venturus qui antiqui serpentis caput conterat ? qui cæli fores referes ? &c.* Hæc est quæstio quam discipuli Joannis proponere Christo debebant, quam etiam proposuerunt, ita, *ut ne verbum quidem mutarent*, ut ex Luca, vers. 20. constat. ¶ Colligit exinde Pontificius *Bartschius* totum scripturæ corpus retinendum, prout illud à Majorib<sup>9</sup> accepimus, nec audiendos illos, qui in bibliis tota capita, quin libros etiam plures inter Apocrypha rejiciant. Verùm si usque ad eò Pontificiis curæ est cordiq; ut cum Baptistæ discipulis, Domini & Præceptoris nostri verba retineant integra, cur ea toties mutarunt, mutilarunt, perverterunt ? Dixit Christus : *Bibite ex hoc omnes* ; cur ergo Papæ discipuli dicunt : *Bibite SOLI Missatici ?* Dixit Christus : *Super hanc petram* (quam Paulus testatur ipsum Servatorem esse, I. Cor. 10) *adificabo Ecclesiam* ; Cur ergo Pontificis discipuli ex Petra Petrum faciunt ? Dixit Christus : *Reges gentium dominantur, vos autem non sic* ; Cur ergo Pontificis creaturæ totum hujus dicti sensum invertunt hoc pacto : *Reges gentium dominantur* (Laicis videlicet) & ab illis nominantur gratiosi, *Vos autem non sic ; vos ne sitis infra principes, Vos ne gratiosos & Clementes eos Dominos vocetis, sed ipsi imperate ?* Dixit Christus : *Dominum Deum tuum adorabis & illi soli servies ?* Cur ergo Pontificis discipuli Sanctos etiam adorant ? imò si omnia Spiritus S. verba, juxta exemplum discipulorum Joannis retinenda, cur in prima statim promissione pro : *IPSE*, positum est : *IPSA, conteret caput serpentis ?* imò cur totum Psalterium à Domino ad Mariam DOMINAM, non sine multiplici blasphemiâ, est detortum ? Ideoque, ut Baptistæ discipuli omnia Præceptoris sui verba retinent, ne verbulo quidem mutato, ita nos idem jubemus, urgemus ex Deut. 4. v. 2. Ioh. 1. v. 7. Galat. 1. v. 8. 9. interim tamen ad fontes merito provocamus, & inter Apocrypha rectè collocamus illos scripturæ libros, de quibus semper in antiquissima Ecclesia dubitatum est, in quorum etiam expressa litera manifesta indicia extant, illos à Spiritu Prophetico & Apostolico non profectos esse. ¶

*Verba Christi  
nec mutanda  
nec mutilanda.*



Quæritur autem cur Joannes hanc moverit quæstionem? Sententiæ Doctorum variæ sunt, quas breviter attingemus: 1. *Iustinus Martyr* in quæstionibus à Gentibus propos. quæst. 38. dicit hanc quæstionem institutam *ob Christi miracula*, de quibus cum diversi essent rumores & dicerent quidam, Elias est qui hæc facit, quidam Jeremias, quidam aliquis ex Prophetis alius, Matt. 16. idèd misisse Baptistam discipulos qui sciscitarentur, num is illa faceret signa, cui ipse testimonium perhibuisset: Sed hanc sententiam non admittet tum ipse Textus noster, qui dicit Joannem audisse opera non alterius alicujus, sed CHRISTI, tum collatio Matthæi cum Luca, qui dicit Baptistæ discipulos interfuisse miraculo resuscitati adolescentis in Nain, quod si propriis suis oculis, & hoc & alia Ioannis discipuli viderant & Præceptori retulerant, quæ poterat ille de autore miraculorum dubitare. Præterea, si Joannes novit Christum esse Messiam, scivit utique, ut Prophetarum maximus, ex Esaia c. 35. ipsum & non alium miracula edicturum. 2. Tertullianus de Baptismo c. 10. eò recurrit, quod Esaïas c. II. prædixerit, super Christo requiescendum Spiritum sapientiæ, scientiæ & agnitionis, unde etiam Paulus dicat omnes scientiæ divini thesauros in Christo fuisse absconditos, Col. I. ideoque cum Messias advenisset, *Spiritus sapientiæ & Prophetiæ* (juxta Tertull.) usque ad eò deseruit Joannem, *ut tota ejus portio ad Dominum transferretur tanquam in massalem suam summam*, ut Tertull. verba habent; Sed docet scriptura Spiritum S. amitti per scelera graviora, jam verò Joannes grande peccatum nullum fecit, E. procul dubio ad mortem usque retinuit Spiritum S. quo matris utero est repletus Luc. I. v. 15. & si Joannes Prophetæ Spiritum amisisset, quomodo sub finem hodi. Evang. plus quam PROPHETA dici posset? Hieron. in c. II. Matth. eò tendit, quod Baptista in dubium vocarit *Christi mortem*, hoc sensu: Ego quidem paulo post moriar & veniam ad populum meum, vadam viam omnis carnis, sed num tu quoque quem pater cælestis, me præsentem, suum dilectum dixit filium, morieris? num me in mortem sequeris? *mirum certè si æternus æterni Dei filius in sepulchrum esset VENTURUS!* unde Ambr. sup. c. 7. Lucæ dicit: non dubitasse Joannem fide, *sed amore & admiratione*: Verùm CHRISTUM moriendum novit David in Psalmis, Esaïas & Daniel Prophetæ, si ergo Joannes præcipuum hunc ignorasset articulum, quomodo plusquam Propheta esset? adhuc cur Joannes CHRISTUM dixisset AGNUM peccata mundi tollentem, si de morte du-

bitaf-



bitasset? Esaias certè c. 53. *agnum occisionis* dixerat, nec peccata mundi hic agnus sine SANGUINE potuit tollere, Heb. 9. v. 22. præterea, cum Petrus articulum de Christi morte oppugnaret, Matth. 16. v. 22. ut Satan reprehensus est, cur ergo in pari lapsu Baptista non increparetur, sed potius ut Prophetarum phosphorus, commendaretur? 4. Eusebius Emisenus putat Joannem quæsisse de descensu Christi ad Prophetas & Patriarchas in Lympo delitescentes hoc sensu: *Ego quidem vado in infernum ad Patriarchas, sed num tu quoq; ed es venturus? ut & ibi tuus sis Præcursor, quem admodum hic fui?* placet hæc sententia Pontificiis, ideo Costerus hanc exinde doctrinam elicere conatur: *Ut Baptista inservit non modo vivis, sed & defunctis, quibus Messia adventum annunciare voluit: Ita & nos beneficiamus Christianis, non modo dum hic vivunt, sed etiam post mortem illorum, ubi pro animabus defunctorum diligenter oremus.* Verùm *ὡς ἐὰν μετὰ τὰ αἰτήματα* &c. ut *quæsitum* ita *responsum*, atqui Christus hic respondet non de Lympo aliquo infernali, sed de miraculis suis, Ergo Lympus ille jam dudum extinctus est, per loca Deut. 33. v. 3. Psal. 31. v. 6. Luc. 13. v. 46. Sap. 3. v. 1. 5. Burgenfis in additionibus Biblicis dicit Baptistam quidem omnia de Christo nosse, sed tantum ex revelatione, voluisse autem ipsum magis proficere *in cognitione experimental*, quasi verò Dei revelatio non esset certior omni experientia? & quasi Joannes non nosset Christum per experientiam, quando scilicet Spiritus S. in specie columbæ super ipsum descendit? ideo Matth. Tornigus in *Replica* contra Burgensem rectè dicit: *Si Joannes sine experientia signorum credere non vult, videtur pertinere ad pravam generationem, qua signa quæsit & reprehensa est,* Matth. 12. imò *post medium sciendi infallibile* (quale Dei revelatio est) *Joannes quæsisset medium sciendi valde fallax, signa scil. & operationem miraculorum, qua & AntiChristo competunt.* Tandem 6. Nonnulli putant non absurdum esse, si dicatur Joannem verè dubitasse: an Christus certò esset promissus Messias? ratio ipsorum est, *quod dubitationis crimen incidisset in viros etiam maximos*, utpote in Gedeonem, Jud. 6. v. 13. in Moysen, Num. 11. v. 21. adhuc scivisse Baptistam, quod in Messia adventu *captivis* promissa esset *liberatio & Clausis apertio*, Esa. 61. v. 1. cum itaque in Carcere annum integrum & 3. complevisset menses, nec tamen vel *liberatio* sequeretur vel *apertio*, ideo dubitare ipsum incepisse de eo, quod antea certò crediderit. Esset hæc sententia per se jucunda, monens de sanctorum infirmitatibus, quæ non semper latent, sed quandoq; sub cruce patent, qui-



*Iohannes non  
potuit dubitare  
de Christo.*

bus tamen cum Baptista resistendum ita; ut à Christo non deficiamus, sed potius ipsius imploremus consilium & auxilium, quo contra infirmitates confirmemur, & sustentemur: Verùm nec hanc sententiam admittit, excellens illa laus, quam Christus in calce hod. Evang. Joanni tribuit asserens, diuturnitate carceris ipsum nullo modo, ut arundinem, fractum esse, sed adhuc columnæ instar perdurare. [Saccus decem ponit causas, cur Joannes de veritate Messie Christi non potuerit dubitare, 1. quia Spiritus S. plenus noverat eum in utero. 2. quia parentes ejus procul dubio retulerunt, quæ ab Angelis, Pastoribus, Magis Orientalibus &c. de Christo audiverant. 3. quia Joannes Christi affinis erat, cum Maria, Soba, & Anna tres fuerint sorores, ex quibus Soba Elisabetham Baptistæ matrem, Anna verò Mariam Christi matrem genuerit, Niceph. l. 2. cap. 2. 4. Notum fuit Joanni Malachiæ vaticinium, quod etiam in fine hod. Evang. allegat, novit ergo ex Malachia, angelum se esse præparantem illi Domino viam; qui ipsi ignotus esse non poterat. 5. quia publicè in festo Tubarum Christum agnum Dei designarat. 6. quia Christum ipse baptizarat. 7. viderat super Christum Spiritum S. alitis in formam collectum atq. ora columba. 8. Legatis Hierosol. dixit, Christum in medio ipsorum esse. 9. Multa audiverat de miraculis Christi, per sesquiannum jam peractis. 10. quia non accusatur de ignorantia, sed commendatur à Constantia, &c.] Optima itaque sententia est Baptistam hanc ideò instituisse quæstionem, ut consuleretur non suæ sed discipulorum ignorantia, testantibus id omnibus hujus historię circumstantiis, nam licet Joannes seipsum includere videatur, dicens: *Num alium Nos expectabimus*; ita tamen loqui voluit ob discipulorum infirmitatem, qui Christum in propria persona usq; ad eo alloqui non audebant, ut potius apud Lucam dicerent: *Ioannes misit nos ad te, dicens: Refert itaq; Baptista noster bonum Medicum, qui pro conditione ægrotantis, quandoque seipsum ægrotare simulat, juxta illud Apostolicum: Quis infirmatur & Ego non infirmor?* 2. Cor. II. v. 29. ¶ Discamus I. Fidem non debere esse ambiguam opinionem, inclinantem nunc in hanc nunc in aliam partem, sed *σταθερά* vel persuasionem certam, firmam, fixam & stabilem; quæ unum acceptat & alterum repudiat hoc pacto: *Si Tu es Christus, non est sperandus alius: Sin alius expectandus, Tu non eris*: talem fidem requirebat Eliás à Baalitis dicens: quoad claudicatis in utramque partem, si Jehova Deus est, Baal non est, si Baal Deus est, Jehova

*Fides est immo-  
ta. 1. Cor. 13. v. 13.*

non.



non est, 1. Reg. 19. vers. 21. talem fidem requirit Christus dicens: Utinam vel calidus esses vel frigidus, quia autem tepidus es, ex ore meo te ejectionem, Apoc. 3. v. 15. imò talis est illa veræ Ecclesiæ fides, quæ dicit: *Si Christus Mediator est, utiq; Sancti non sunt: Si Christus Redemptor est, utiq; Maria Redemptrix non est: Si Christus est Caput Ecclesiæ, utiq; Papa non est: Si Christi Sanguis à peccatis purgat, utiq; purgatorium nihil est, &c.* Et ex altera parte: *Si Deus bonus est, utiq; peccatum nec vult nec promovet: Si Deus misericors est, & justus, utiq; multos homines ad infernum sine causa non rejecit, &c.* II. Discipuli Errare facile esse, sed ab errore reduci & liberari valde difficilè, discipuli Baptistæ hunc semel errorem erraverant, quod Magister ipforum Christo esset præferendus; hinc contrarium ipse Baptista persuadere ipsis non potest, sed oculari signorum Christi demonstratione difficulter in viam reducuntur: Sic Messia regnum fore mundanum ut putabant Judæi, ita certe ab hoc errore ipsi Apostoli vix & ne vix quidem liberari poterant, Matth. 20. v. 20. Luc. 22. v. 24. Act. 1. v. 6. Sic si olim falsò creditum est, Eliam Thebitem, ante mundi finem rediturum, illi errori usque ad eò inhæserunt Judæi, ut eo etiam infectus videatur Magnus ille Syracides c. 48. v. 10. Videmus idem evenire illis, qui in Papatu aliquantisper vixerunt, quam tenaciter adhærent illis hominibus humanæ opinionones & superstitiones etiam absurdissimæ, quas vix & ne vix quidem exuunt. Ideoque ne fidamus opinionibus vulgò receptis, sed verbo Dei cum Baptistæ discipulis cedamus, & matutina illa veritatis lux nobis orietur, Esa. 8.

*Errare facile ab errore reduci difficilimum.*

**Ite & renunciate quæ auditis & videtis.** ] Lucas dicit in præterito: *Quæ audistis & vidistis*, & putat Clemens Alexand. ita hæc discernenda esse, ut prius referatur ad *Prophetarum vaticinium*, postèrius verò ad *Christi complementum*: *Quæ audistis, per Prophetas prædicta*, ea jam vidistis *per me completa*, quo etiam Clemens refert illud Psal. 48. v. 9. *Vti audivimus ita vidimus, &c.* Sed utrumq; hîc ad Christum referendum est **AUDITIS**, *Evangelium scil. quod pauperibus prædicatur & vidistis signa.* Dn. Polyc. in Harm. c. 55. p. 56. hæc ita conciliat, quod *Mattheus loquatur in præsentem de illis, quæ quidem hoc tempore dixit & fecit; Lucam verò in præterito agere de illis signis, quæ aliàs fecerat Christus, Vel: sub initium accessus discipulorum Joannis dixisse Christum in præsentem ad excitandam attentionem: Dicite Joanni quæ auditis & videtis*, postea verò cum in actione miraculosa satis diu perrexisset, repetiisse ipsum hæc verba



in præterito: iam ergo, in nomine Domini, abite & quæ hæcenus vidistis ac audistis, renunciate. Lucas enim refert Discipulos Ioannis non statim fuisse dimissos, sed Christum, ipsis quasi expectantibus, multos in illa hora sanasse à morbis & infirmitatibus, quas ille *μάστιγος* dicit, h. e. *seviore* & *inustitatos morbos*, qui de ira & pœna divina satis clarè testantur, multis etiam cœcis visum esse donatum, multos à Spiritibus malis liberatos &c. quæ omnia ut non breve temporis momentum requirunt, ita sanè Discipulis satis diu fuit expectandum, quod ideò factum est, ut eo solidius informarentur, quod enim cito fit, id cito perit. ¶ Observemus ergo hic loci tritum illud: PEDETENTIM, item: CUM DEO ET DIE, *Gut Ding wil Weil haben/ præsertim institutio rudium fundamentalis, de* *lest sichs so nicht eylen/ unde vana & inanis est illorum gloriatio, qui dicunt in suis Scholis brevi admodum temporis spatio se juventutem fundamentaliter erudire, & ad solidam eruditionem promovere posse, id quod IESUITIS quotidianum, verùm Apostolis in Christi Schola totum ferè quadriennium fuit insumendum, antequam aliquale salutem religionis fundamentum jacerent, sic hoc etiam loco Baptistæ discipulis satis diu expectandum est, donec Christus respondeat & solidè eos erudiat: ideoq; si vel maximè nostratium informatio Scholastica diuturnior sit quam Iesuitarum & aliorum, solidum tamen est quod subest, subitanea autem institutio ut nec solida est, ita, cum Ionæ Hederâ, unâ nocte fit & unâ nocte præterit, Ion. 4. v. 10. ¶ Notandum præterea est quod hic DICTA præferantur FACTIS, renunciate 1. *Quæ Auditis.* 2. *quæ Videtis*, doctrina enim miraculis præstantior est, cum signa data sint ob doctrinam, quæ etiam usum, finem & significationem miraculorum explicat. Quæritur autem cur Christus responderit Baptistæ non verbis, sed factis? 1. Harmonia Chemn. dicit hoc ideo factum, ne Iudæi Christo antiquum illud objicerent. *Tu de te ipso testaris, ergò tuam testimonium non est verum*, Iohan. 8. v. 13. Barradius putat 2. propterea factum, ne Christus ante destinatum tempus daret anam passioni, Iudæi enim talem expectabant Messiam qui Rex esset, si ergo Christus dixisset: *Ego sum Rex*, tunc habuisset occasionem, Phariseos quidem ad accusandum, Romanos vero ad occidendum. 3. putant quidam ideò realiter Christum respondisse, quod certius sit testimonium à rebus tractum, quam verborum ut habet Chrysohom. 37. in Matth. unde pleriq; Postillatores Christum ita quasi loquentem introducunt: *Non opus est verbis**

Gut Ding wil  
Weil haben.



verbis ubi rerum adsunt testimonia: Opus commendat Artificem: Cessent opera, loquantur verba, &c. referunt etiam huc, tum dicta, Ioh. 5. v. 36. & 10. v. 37. ut & historiam Tarquini, qui decussis papaverum capitibus filio indicavit, qualiter tractare deberet Gabiorum sibi subjectorum Primates, Liv. l. 1. ab urbe cond. f. 10. Sed 4. optima ratio est Christum voluisse hoc responso Baptistæ discipulos deducere ad vaticinia Prophetarum, de quibus postea audiemus. ¶ Docere autem hoc responso reali, procul dubio, Christus voluit, Christianum non verba sed facta coronare, siquidem verissimum est illud Iustini: *ὁ λέγειν μόνον, ἀλλὰ καὶ εἶναι πρὸς χριστὸν ὄντας*: Non dici sed esse facit Christianum: Ideoq; , ut Christus hic ad opera provocat, ita & Tu demonstra mihi fidem tuam, Iacōb. 2. v. 18. Si es filius Abrahami, fac etiam Abrahamæ opera, Ioh. 8. v. 39. quia ingredientur regnum DEI, non omnes DOMINE DOMINE dicentes, sed Dei patris voluntatem Facientes, Matth. 7. v. 27. imò, quid Dominum me dicitis, si mandata mea non facitis? Luc. 6. v. 46. consistat ergo noster Christianismus non in nudâ γνώσει sed potius in πράξει. Incidit hic lepidum Taubmanni b. m. responsum, qui cum Pragæ, unâ cum Serenissimo suo Electore: *Christiano II.* aliquod ingrederetur Iesuitarum sacellum, & quidem tecto capite, cum alii omnes pileum detraherent, ibi quidam accurrens Emissarius dixit: *Tu non videris mihi Catholicus?* at ille facetè satis & aptè respondit: *Malo Es SE, quam VIDERI*, quo alter ille non parum confusus, abiit: Simus ergò & nos Christiani: *ὁ λόγος μόνον καὶ γλώσση ἀλλ' ἔργον καὶ ἀληθεία*, I. Johan. 3. v. 18. Rectè quidem hæc dicuntur, sed tamen non eò trahenda sunt, quò inepte satis traxit Costerus, qui ex Christi reali responso operum merita conatur adstruere, in Conc. 2. p. 27. ita discurrens: *Quando angeli in hora mortis venient, ad accersendam animam, & hac voce nos compellabunt: Palatium paratum est in cælis pulcherrimum & nobilis quadam corona, tunc es, qui illuc venturus es, an aliquem alium illud expectabit? tunc angeli in VERBIS non acquiescent, sed necesse est ut OPERA similiter ostendas & dicas: Nunciate qua vidistis & audistis, hac sunt totius vitæ mea opera, hac verba, videte, num ea vitam promeruerint æternam, &c.* Verùm quis non videt extra oleas hic vagari & nimium dicere Costerum? cur gloriaretur coram Deo is, qui cinis & pulvis? Gen. 18. v. 27. cur gloriaretur qui Servus est inutilis, licet omnia fecisset? Luc. 17. v. 10. cur gloriaretur qui Deo suo ad mille ne unum quidem respondere potest? Job. 9. v. 3. cum gloriaretur ille, cujus omnes iustitiæ sunt ut

mea.

Non verba sed  
facta Christianum  
decent.



menstruatæ pannus? Esa. 64. v. 6. Paulus certè in operibus suis usque ad eò gloriatus non est, ut ea pro stercore agnosceret, Phil. 3. v. 8. imò Bernhardus etiam Monachus cum moribundus Deo suo, respondere vellet, usq; ad eò OPERA jactare non potuit, ut potius diceret: *Tempus meum perdidisti, perdidisti vixi, pro quo quid agam non invenio, nisi quòd cor contritum & humiliatum Deus non despicias.* Et bonus ille Agathon cum in agone deducebatur ad suam pietatem & sanctitatem, propter quam illi non timendum putabant juniores Monachi, respondit: Filioli: *ἀλλο κέ μω τῶ θεῷ, καὶ ἀλλο κέ μοι τῶν ἀνθρώπων.* Qui itaq; gloriatur is non in operibus sed in infirmitate sua gloriatur, 2. Corinth. 12. v. 10. gloriatur in vera Servatoris sui agnitione, Jerem. 9. v. 24. aliàs ideò ignòbilia mundi elegit Deus, ne gloriatur in conspectu ejus ULLA CARO, 1. Cor. 1. v. 28. ideoq; in fine vitæ sic ores: *Merà valente gratià: per te nefas remitte - Sunt FACTA nostra perdità in sanctitate vitæ - Ceramq; te non est honor quin omnibus tui timor tuo favore standum; Für dir niemand sich rühmen kan / Des muß dich fürchten jederman / &c.*

**Cæci vident, claudi ambulant.]** Prophetæ tria potissimum de CHRISTO prædixerant. 1. Ipsum editurum miracula, Esa. 35. v. 5. 2. Ipsum prædicaturum gratiosa, Esa. 61. v. 1. 3. Ipsum perpeffurum scandala, Esa. 8. v. 14. Pl. 118. v. 22. Ad hæc Christus deducit Baptistæ discipulos, & ideò paucis ea verba notavit, ut Baptistæ suppeditaretur occasio plenius erudiendi discipulos, per integras Prophetarum expositiones, unde & Lyserus in Harm. dicit: Non est dubium, Johannem post reditum discipulorum Biblia in manus sumsisse & integros illos locos Prophetarum, qui paucis à Christo notati erant, uberius discipulis suis ita exposuisse, ut certò ostenderet Christum esse Messiam. Videamus verba Christi: Dicitur. 1. *cæci vident, ἀναελέησιν, Beza rectè: visum recipiunt*, quia nemo uno & eodem actu & cæcus esse & videre potest, ideò sensus est: *qui antea cæci erant, illi nunc vident*, & notandum quod hîc cæci aliis morbofis præmittuntur, quod factum, tum quia in Esaia vaticinio c. 35. præponuntur, tum quia Lucas dicit eos valde multos fuisse, quibus visus datus & donatus (*ἐχαιεῖσιν*) tum quia hic sensus omnium est præstantissimus, & ab initio mundi præter Christum nemo fuit, qui cecum natum restituerit, Johan. 9. v. 32. 2. *Claudi ambulant, ἀεπτὰ τῶν ἑσθ. Verf. Reg. Circum ambulant, alacriter incedunt, ad complementum Esaia: Claudus saliet ut cervus. 3. leprosi mundantur, Syrus: Lepro-*



Leprosi q; , surdi audiunt , mortui resurgunt , &c. in Esaiâ etiam muti ponuntur, quorum lingua sit jubilatura, cujus licet hîc nulla mentio fiat, muti tamen includendi sunt numero illorum, de quibus Lucas dicit, quod morbis & flagellis variis fuerint obnoxii, & putat Cösterus Christum hic *plus quam Centum edidisse miracula*, quod tamen ex textu accuratè scire non possumus. Sibylla certè apud Lactant. l. 4. c. 14. eadem cum Christo verba habet, prædicens:

— Νεκρῶν δὲ ἀνάστασις ἔσται,

Καὶ χωλῶν ἰσόρρομη ἐς ὠκὺς καὶ κώφῶν ἀκρόσ

Καὶ τυφλοὶ βλέψασι, λαλήσασ' ἡ λαλίοντες.

*Mortuorum autem resurrectio erit,*

*Et claudorum cursus erit velox, & surdus audiet,*

*Et cæci videbunt, & muti loquentur.*

Discamus hîc 1. in hîs miraculis pulchrè depingi Messîæ beneficia, tunc quidem temporis exhibenda, jam verò exhibita. Quod enim *cæcis* visum restituit Dominus, Johan. 9. Matth. 20. Luc. 18. quid eo aliud fuit præfiguratum, quam quod Messias esset illuminaturus omnem hominem, Ioh. 1. nosq; promoturus ad sortem sanctorum in luce, Col. 1. 2. quod *claudos* Dominus erexit, Ioh. 5. & alibi, quid eo significatum fuit aliud, quam Messiam directurum pedes nostros in viam pacis, Luc. 1. 3. quod *leprosos* Christum mundavit, Matth. 8. Luc. 17. quid eo aliud significabatur, quam Messiam nos à lepra peccati mundaturum sanguine suo, I. Joh. 1. 4. quod *surdos* restituit Dominus, Mare. 7. eo significatum eum aperturum corda & aures nostras, quo audiamus quid loquatur Deus Dominus, quod loquatur pacem plebi suæ, Psal. 84. v. 9. imo quod Christus *resuscitavit mortuos*, Matth. 9. Luc. 7. Ioh. 11. quid aliud significatum eo fuit quam mortis imperium jam jam destruendum, Ose. 13. v. 14. Hæc omnia ut Christi signis depicta sunt, ita jam facta sunt, quotidieq; fiunt: *cæci sumus*, Eph. 4. v. 18. Sed Christus illuminat oculos nostros per verbum, quod Lucerna, Psal. 19. 119. *Claudi sumus*, Prov. 1. v. 16. sed Christus erigit nos per virtutem suam, quæ in infirmis potens, 2. Corinth. 12. *Leprosi sumus*, Esa. 1. v. 6. Sed mundat nos CHRISTUS per sanguinem, Apoc. 1. v. 5. *Surdi sumus*, Ierem. 6. v. 10. Sed CHRISTUS aperit aures nostras per legem Act. 16. *egeni sumus*, Apoc. 3. Sed CHRISTUS per suam nos ditat paupertatem, 2. Cor. 8. v. 8. *mortui sumus*, Eph. 2. Sed CHRISTUS per suum nos corpus & sanguinem vivificat &c.

*Allegoria miraculorum Christi.*



Huc ergo caeci! CHRISTUS lux est: huc claudi! CHRISTUS via est; huc leprosi! CHRISTUS medicus est; huc mortui, CHRISTUS vita est. Ach Hexx Ich bin auch der Blinden einer/sey du mein Liecht vnd Heyl/ erleuchte ja meine Augen/ daß ich nicht im Tode enschlaffe! Ach Herr/ Ich bin auch der Lahmen einer/leite mich in deiner Wahrheit/vnd laß meinen Fuß ja nicht gleiten! Ach Herr/ Ich bin auch der Tauben einer/laß mich hören Freude vnd Wonne/ daß die Gebeine frölich werden/ welche du zer schlagen hast! Ach Herr/ Ich bin auch der Aussätzigen einer/von der Fußsolen biß auff die Scheitel ist nichts gesundes an mir/ heile mich/ so werde ich heil/ hilff mir/ so wird mir geholffen/ Ja Herr/ Ich bin in Sünden todt/ mache mich in dir lebendig vnd ewig selig/ Iohan. Arnd.

*Ministerium  
Mosis & Christi  
differunt.*

¶ II. Discamus Ministerium Christi & Mosis non parum differre, id quod ex signis ab utroq; editis satis manifestum, sub Mose enim homines leprâ percussi sunt, ut Miriam, Num. 12. & alii, quia Moses peccati lepram monstrat, at non sanat: sub Christo vero lepra pellitur, quia ipse Sanguis verum erat *Mundificativum*, peccati lepram tollens: Sub Mose variis homines plagis affecti sunt, ut ex miraculis Egyptiorum notum, quia lex conscientiam non sanat sed vulnerat: Sub Christo autem omnes curantur morbi, quia ille verè est Iehova Medicus noster, Exod. 15. v. 26. Sub Mose multi mortui sunt, quos vel terra vivos absorpsit, vel Serpentum igneorum morsus sustulit, vel gladius voravit, &c. Sed sub Christo mortui resurgunt, quia ipse est vita & resurrectio, qui in ipsum credit, is vivit licet moriatur, Ioh. 11. v. 25. Breviter signa Mosis erant signa iræ, signa Christi erant signa gratiæ, hinc nullo modo concedere voluit, ut suo tempore horrendi quid ab Apostolis fieret, Luc. 9. v. 56. Confugiamus itaq; ab austeritate Mosis ad Christi Servatoris *φιλανθρωπίαν* & humanitatem, nec legis maledictum nobis nocere poterit. ¶ III. Discamus Scripturam verè iudicem Controversiarum esse, *generalem, legitimam, ordinariam & prorsus infallibilem*, id quod Pontificii de suo Papa dicere non sunt veriti, in Colloq. Ratisb. p. 35. 142. 208. In hoc enim Evang. licet Johannes sit inter natos mulierum maximus, & Christus Joanne, utpote filius Dei, longè major, uterq; tamen ad Scripturam recurrit. Servator certè noster propriis quidem verbis respondere Baptistæ legatis potuisset, ut ille, de quo pater cœlestis: HUNC AUDITE, verùm SCRIPTURAM Propheticam constituit ipse JUDICEM & verbis respondet Biblicis: Quia ergo Joannes discipulos

*Scriptura iudex  
controversiarum.*



pulos mittit ad Christum, Christus verò remittit ad Scripturam, Ergò in Scriptura quarendum quid Christus nobis respondeat in controversiis religionis. Equidem *Bartoschius* Jesuita Polonus hic objicit: Discipulos Baptistæ non esse remissos ad Prophetarum lectionem, sed ad Joannem ut Pastorem ordinarium. 2. Christum, licet per Scripturas cum legatis ageret, non tamen citasse locum ex Prophetis, ne ipsi sine Magistro scripturas legerent & interpretarentur, &c. Sed facilis est Responsio; ad prius dicimus, remississe quidem Christum Baptistæ discipulos ad Joannem, sed non ad talem, qui hoc tempore Magister esset, sed potius Minister & Condiscipulus, ideo CHRISTUS (Magister ille fidei unicus, Matth. 23. v. 8.) præscribit Johanni certam materiam, imò certam metam, modum, & Canonem, juxta quem suos informare debebat, non tam Discipulos, quam condiscipulos, sic enim Baptistam loquentem introducit Basil. Seleuc. Orat. 34. p. 291. *Ite & discite Christum, cognoscite & cognito servite: omisso FAMULO Dominum colite: non jam DISCIPULI mei sed CONDISCIPULI estis constituti*: Ad alterum dicimus, Christum propterea ex Prophetis locum non citasse, quia Joanni utpote Prophetarum maximo, illa loca notissima erant, quæ etiam, ut antea ex Chemnitio diximus, procul dubio assumpsit & copiosius in carcere discipulis suis exposuit, unde hoc loco satis erat ad Prophetarum scripta viam saltem stravisse, nec tamen sequitur: Ergo Joannis discipuli non debebant ipsi Scripturam legere, quia ut Iudex controversiarum geminus est: PRINCIPALIS & INSTRUMENTALIS, sic uterq; audiendus est à Laicis: Principalem audiunt judicem quando Scripturas legunt & in illis Christum loquentem audiunt, judicem vero minus principalem consulunt, quando MINISTERIO scripturas exponenti & explicanti assentiuntur, scrutamini ergo scripturam Ioh. 5. v. 39. quia illa verè est λόγος καρτικὸς, DIJUDICANS cogitationes & conceptus cordis, Heb. 4. v. 13. ¶ IV. Discamus hîc malè à nobis exigi miracula, quod tamen Pontificii circa hodie, Evang. magno faciunt conatu discentes: *Quod hîc contingit, idem hodieq; contingere circa Lutheranam Ecclesiam, ad quam indices quidam ex Papatu mittantur, quærentes: An Lutherus sit legitimus Romana Ecclesie Reformator? an expectandus alius? ibi nos semper respondere, imò Lutherum & non alium hunc ipsum esse. Aber es mängele an besten/non posse nos addere: Dicite quæ videtis & auditis: cæci vident, claudi ambulat, &c. cum & alia nobis MIRACULA prorsus desint, nec valeamus claudum*

*Miracula mala  
à nobis postulantur.*



sanare Canem, Ecclesiam verò Catholicam nullo unquam seculo testimonio miraculorum caruisse penitus, eamq; si UNQUAM aliàs, hoc præsertim tempore Signis & PRODIGIIS vel MAXIME clarere, Stanisl. Bartsc. in hod. Evang. & addit Grodicius: Ioannis discipulos hic non ablegari ad VOCEM Baptistæ: Ecce agnus Dei, sed ad CHRISTI MIRACULA, id quod hodie etiam fieri debeat. Resp. 1. Ecclesiam Romanam signis & prodigiis hodie clarere, hoc tunc credimus, quando vel Nugis Indicis ac Japonicis fidem habemus; vel assentimur Paulo, qui prædixit Antichristum, per Satanæ efficaciam, signis & prodigiis, at mendacibus, clarum fore, 2. Thess. 2. v. 9. 2. Dicimus Baptistam etiam nullum edidisse signum, Iohan. 10. v. 41. & tamen REFORMATOREM Pharisæismi egregium ipsum fuisse, ubi si Grodicius regerit, Ioannem quidem non fecisse signa, TALIA scilicet qualia Christus edidit, tamen ipsum & ejus ortum merum miraculum fuisse, tunc nos respondemus hic agi de talibus miraculis quæ facta sunt non CIRCA personas, sed PER personas & à personis ita, ut faciant ad doctrinæ confirmationem, id quod de miraculis in Baptistæ ortu factis dici propriè non potest. 3. dicimus Lutherum nihil novi docuisse, ideoq; novis ipsum signis non indignis, sed ut Ioannis discipuli remittuntur ad Christi miracula, ita etiam Lutherus in miraculis Christi & Apostolorum acquievit. Regerit equidem Grodicius Prophetarum etiam doctrinam per Mosis miracula satis superq; fuisse nobilitatam & tamen propria ipsos miracula edidisse, id quod hodie etiam fieri debeat; verùm ut in N. T. miracula facta sunt, non modo per Christum, sed & per Apostolos, ita etiam in V. T. signa facta sunt non modo per Mosen sed & per reliquos Prophetas, quorum tamen non pauci miraculis destituti fuere, licet REFORMATORES vel maxime strenui fuerint. Quinimo si 4. réç & usq; adeo & omnia expetitis, Viri Pontificii, ite & dicite vestris hominibus quæ videtis & auditis: COECI, qui apud vos in tenebris plus quam Aegyptiacis sedebant & diem à nocte, nigri ab albo, veram à falso non discernabant, illi jam vident, postque Evangelii Lumen ante annos 100. illis exortum: CLAUDI, qui apud vos, jam Deum, jam Sanctos demortuos adorantes, in utrumque cum Bualis claudis abant, illi jam ambulant & Christum recto pede solum accedunt, Es wissen numehr die Eurt & das getade in quæ Remmer gebe: SURDI, qui apud vos, præ Missarum strepitu & multu udræ, vix & ne vix quidem unam in anno concionem audiebant, illi jam audiunt & sequuntur illam Spiritus S. vocem: Qui aures habet ad audiendum, audiat. LEPROSI,

quos

Miracula nostra.



quos peccati fœditas à Deo suo separabat, nec sciebant, quâ mundari possent, illi jam mundantur, h. e. per Christi SANGUINEM ab omnibus peccatis se mundatos norunt, 1. Iohan. 1. Apoc. 1. MORTUI, h. e. illi qui sub Papatu pro mœrore penè mortui essent, nec tamen solatium invenirent, illi jam vivunt, vivificam ex verbo Dei consolationem hauriunt. PAUPERES, tandem quod attinet, vè illis sub Papatu! Curia Romana non quarit ovem sine lana, dantes exaudit, non dantibus ostia claudit, musten also die Armen weyland mit der Haut bezahlen! sed hodie Evangelizatur pauperibus etiam, & qui ditescere ipsi possint, monstratur. Hæc sunt illa miracula, in quibus exultamus & Pontificiis indes spectanda illa exponimus. ¶ V. Discamus tandem Christum verum esse & æternum Deum, id quod ex miraculis ejus, quæ à Iudæis etiam pro divinis agnita Ioh. 3. v. 2. 7. v. 31. satis constat, nec obstat quod Apostoli etiam leguntur edidisse miracula, fecerunt enim illa non virtute propria sed aliena, h. e. Christi Servatoris id quod testantur Act. 3. v. 6. 9. v. 34.

Christus verus  
Deus.

Pauperes evangelizantur.] Quidam ex Patribus putarunt retinendam hîc esse sententiam activam: Pauperes evangelizantur, h. e. pauperes Evangelium prædicant, unde hanc adstruxerunt doctrinam, quod ministerium verbi aptius & majori cum Ecclesiæ fructu competat Pauperibus, h. e. illis, qui in mundo villioris sunt conditionis, quam Nobilibus & aliis ex opulentis parentibus ortis, quemadmodum etiam Apostoli egeni fuêre Piscatores, & videtur eò tendere Paulus 1. Cor. 1. v. 26. verùm quale esset miraculum quod pauperes Evangelium prædicant, hoc certè quotidie fit, cum ergo Pauperum prædicationem signis annumeret, ideò passiva sententia melior est: Evangelizatur pauperibus, quia per pauperes hîc intelliguntur non mendici, sed ut Lira ex Matth. 5. v. 3. rectè sentit: Pauperes spiritu, hinc Esa. 61. v. 1. ponitur vocabulum ~~pauperum~~ Ananiam: mansueti, Luth. die Elenden & verè miraculum est vel maximum, quod miseris peccatoribus à Deo justissimo, propter filium, promittitur & donatur regnum cœlorum Phil. Melanth. Reperitur itaque Hebraismus non nihil durius sonans in auribus nostris: Pauperes Evangelizantur, h. e. ut ipse Messias passivè interpretatur: Dominus unxit me Evangelizare pauperibus, Esa. 61. Luc. 4. v. 18. Consentit etiam Syrus dicens: Pauperes Evangelii nuntium accipiunt. ¶ Observemus hîc I. vanam esse accusationem Fr. Bartschii qui dicit hodierno Evangelio profusus fuisse contrariam propagationem Novi Evangelismi [Lutheranismi] ut quæ non cœperit à PAUPERIBUS, sed potius à Nobilibus,



& etiamnum hæresin non raro POTENTES primùm invadere &c. Resp. Malè habet Pontificios, quod sub initium reformationis, Evangelio crediderunt, & laudabile patrociniū illi præstiterunt, etiam Electores & Principes, aliàs certum est, per pauperes, propriè hic intelligi non tales, qui ære & fortunis pauperes sunt, sed qui sub onere peccatorum humiliati, de propria dignitate desperant, illis cum magno fructu prædicatur Evangelium, quod tamen usq; adeo non respuit divites hujus mundi, ut contrarium testentur & vaticinia, Esa. 49. & 60. Psal. 2. & 72. & exempla, Matth. 2. & 8. Act. 10. ubi profectò Evangelium ditioribus etiam est annunciatum. Et si Evangelium rejiceret POTENTES ac NOBILES, cur ergo Pontificiū gloriantur toties de tot Ducibus, Principibus, Regibusq; potentissimis suæ parti adhaerentibus? imo cur Pater ille Jesuitarum Pragensium: Andreas Newbater / Conciones Domini Lyleri ita A. 1607. confutavit, ut diceret Piscatorem Saxonicum minutos tantum pisciculos cepisse (*Zwiebelsischlein*) cum ipsi grandes cetos & Balenas capiant? nos scimus, licet quis fortuna hujus seculi præstet, si modo internam egestatem & miseriam agnoscat, illum à regno cælorum nullo modo excludi. ¶ II. Observemus, vanos esse & velanos omnes illos, qui in Evangelio externam quærunt felicitatem, pauperibus enim Evangelizatur, ergo *quicumque sancti verè sunt - illos oportet ingredi - per cruces & molestias - in vitam æternæ requiem*, Act. 14.

Beatus qui non fuerit scandalizatus in me.] Erasmus videtur confundere scandalum datum & acceptum, ideo vertit: *qui non fuerit offensus per me*; rectius Syrus: *Ac demum felix ille, qui non impegerit in me*; & putant nonnulli Christum hæc direxisse ad Baptistam in carcere delitescentem, quasi ille non nihil inceperit scandalizari: Sed subsequens Joannis laus hoc non patitur, ideo Hieron. rectè dicit: *In hoc percussit Nuncios*: verè enim Joannis discipuli hætenus erant offensus tum *Christi personâ*, quod videl. ille pro Fabri lignarii filio haberetur, Matth. 13. v. 15. Baptista vero illorum Præceptor esset Sacerdotis Zachariæ filius, Luc. 1. v. 13. tum *Christi patriâ*; quod videl. ille educatus esset in Nazareth, oppidulo valde contempto, Joh. 1. v. 46. Baptista vero esset Hebronensis, atq; sic ex præcipua civitate Judææ oriundus, Luc. 1. v. 40. tum *Christi fortunâ*, quod videl. ille Ministerium Ecclesiasticum vix ingressus esset, cum Joannes per annos 30. & quod excurrit concionatus, jam concionator Herodis Aulicus passim audiret, Marc. 6. tum *Christi vitâ*, quod videl.



del. in civitatibus ille cum peccatoribus conversaretur, ederet biberet-  
 que, cum Baptista rigide & solitarie in deserto viveret, Luc. 3. v. 4. hæc  
 omnia Joannem coram discipulis clarum, Christum vero obscurum &  
 contemptum reddebant, eo igitur tendit Christus dicens: Beatus qui  
 non fuerit offensus in me. ¶ Monemur autem hinc hodieq; & Chri-  
 sti Evangelium contemni, tum propter vilem Ministrorum sortem, de  
 qua Paulus 1. Cor. 4. v. 9. tum propter contemptibilem confessorum ejus  
 fortunam in mundo, quæ omnia collatione Lutheranz & Papisticæ Ec-  
 clesiæ illustrari possunt, SED BEATUS, QUI NON FUERIT SCANDA-  
 LIZATUS IN ME, inquit Dominus. Poterat etiam hinc agi de scanda-  
 lo, sed hæc in Michaelis Festum reservemus.

Illisabeuntibus ] Lucas: *Abeuntibus Nunciis*, quæritur itaq;  
 hic I. cur Christus Joannem hoc tempore voluerit commendare? Ru-  
 dolph. Ardens dicit ideo Baptistam commendatum, quod turbæ exi-  
 stimarent, eum nullius virtutis esse, cum nulla faceret miracula. Calvinus ideo  
 dicit commendatum Baptistam, ut populus eo citius ejus crederet te-  
 stimonio, quod si intelligit de testimonio Baptistæ ante hæc editis, tunc  
 verum esse potest, deinceps autem Iohannes utpote captivus, nullum  
 Christo testimonium publicè dedit: ideo optima ratio potest desumi  
 ex textu: Dixerat Christus: Beatus qui non fuerit in me offensus, quam  
 sententiam ne quis contra Joannem putaret directam, ideo commen-  
 dat eum Christus 1. à constantia, 2. à vitæ duritia, 3. à prophetandi  
 excellentia. 4. à præcursionis gratia, hinc interlin. glossa dicit: *Com-  
 mendatur Ioannes turbæ, ut sciant eum quæsisse non sibi sed discipulis.* II. Quæ-  
 ritur cur Ioannes Christum commendavit post discessum discipulo-  
 rum Baptistæ. Postill. ut plurimum putant hoc ideo factum, ne videret-  
 tur Ioanni adulari & confirmare tritum illud: *Mulmuruum*, hinc Rud.  
 Ardens: *Abeunt discipuli, ne Christi commendatio videretur adulationem redo-  
 lere, quia nemo laudandus est in sua vel suorum præsentia, cum inde oriatur & su-  
 spicio assentationis in nobis, & occasio gloriandi in aliis.* Sed melior videtur  
 ratio, quærentium utilitas, quibus Joannis commendatio nihil prode-  
 rat, cum illi aliàs autoritati Baptistæ plus nimium addicti essent, Har-  
 mon. Chemn. ¶ Discamus: I. Dona Dei in sanctis non esse contem-  
 nenda, dissimulanda vel silentio sepelienda, sed honoranda ac deprædi-  
 canda, ita tamen ut par est. Quoad Baptistam, alii in excessu peccabant,  
 ut ejus discipuli, qui suo Præceptoritribuebant nimium, contra ipsum

*Sancti sua lau-  
 de non prævan-  
 di.*

CHRISTUS



CHRISTUM: alii detrahebant ipsi & quidam diversimodè: Pharisei dicebant ipsum habere Dæmonium, Matt. 11. v. 18. Herodi erat seditiosus: Vulgus hæcenus magni ipsum fecerat, sed amor refrixit, cum Baptista in vinculis lateat: Christus autem medium quasi in sanctorum laudibus monstrans, Baptistam tunc commendat, quando externa ipsius fortuna valdè inclinata & fermè collapsa est, imò quod notatu dignum, cum Baptista in magna floreret autoritate & certatim ab omnibus laudaretur, tunc Christus non multam ejus mentionem fecit, cum verò ob carcerem Baptista paulatim contemni inciperet, tunc reliquis vel tacentibus vel maledicentibus, Christus instituit magnam Joannis prædicationem: non ergo moveamur judiciis hostium iniquis & vulgi inconstantia, siquidem is à Deo commendatur, qui à toto mundo deferitur & contemnitur, honorantes enim me honorabo, inquit Dominus, 1. Sam. 2. quod si hic non fiat, fiet tamen in extremo judicio, ubi unicuique sua laus obtinget, 1. Cor. 4. ¶ II. Discamus, quinam sit verus Sanctorum honor? videl. non idololatrica illorum invocatio: non votorum nuncupatio: non sacellorum & templorum ab ipsis denominatio: non suscepta ad illorum reliquias peregrinatio, quemadmodum de Baptista in Papatu adhuc monstratur, & caput & digitus index: Sed ita Sanctos, juxta hodiernum Christi exemplum, venerari par est, ut 1. ipsorum dona pro munere Spiritus S. agnoscantur ac prædicentur. 2. ut Deus laudetur in sanctis, quando illi pro hisce organis gratiæ suæ gratias agimus. 3. ut sanctos tanquam speculum intueamur & ab illis discamus, quæ ad pietatem vitæ verumque Dei timorem nos excitare possunt, hoc vult Davidicum illud: *Laudate Dominum in sanctis*, Psal. 150. v. 1. hoc vult Syracides, c. 44. v. 14. ita laudatus est Deus in Paulo, Galat. 1. vers. 23. ¶ III. Discamus imitari CHRISTUM Servatorem, qui vindicat honorem Baptistæ quem Herodes pro seditioso, Pharisei pro diabolico & vulgus pro malefico habebant; ita & nos succurramus sine causa occidentis, Proverb. 24. vers. 11. Jonathan Davidem ab hasta Saulis liberabat, Tu innocentem proximum à lance Obtrectatoris liberes; Daniel Susannam ex falsorum testium manibus eripuit: Tu proximum ex Calumniatorum mendacibus linguis eripias; Angelus Domini Daniele inter leones defendit; tu defendas proximum à dentibus frendentibus maledicentium, imo ut hic Christus Joannis innocentis quasi causam agit, ita si & nos innocenter patiamur nostram procul dubio

*Verus Sanctorum honor.*



dubio causam Deus aget, videantur loca Mich. 7. v. 9. Psal. 37. v. 6. Psal. 97. v. 10.

Quid exiistis videre. ] In Græco est verbum quod Spectaculis competit: *Ἰεῖον* & Verf. Reg. *Spektare*, & videtur Dominus alludere ad loca: EXIBAT ad eum Hierosolyma & omnis Judæa & omnis regio circa Jordanem, Matth. 3. v. 5. Item: dicebat ergo ad turbas, quæ exhibant, ut baptizarentur ab ipso, Luc. 3. v. 7. imò (ut doctis. noster Pomar. rectè annotat.) videtur Dominus alludere ad illam Judæorum Legationem, de qua post octiduum ex Joh. c. 1. audiemus. Isti enim legati verè EXIBANT ad Johannem, ut viderent 1. *Arundinem* à vento agitatam, h. e. volebant ut Baptista suam mutaret sententiam, desereret suam Eremum & Sacerdotio Levitico sese immisceret. 2. quærebant hominem *mollibus indutum*, volebant ut Baptista Christum sese, h. e. talem vendicaret Messiam, qui mundanus Rex esset, *Er solte ein Purpur vnd Herrn Kleidt anlegen*. 3. quærebant *Prophetam*, qualis olim Elias, Elisa & alii fuerant, sed nihil horum legati illi in Johanne invenerunt. Ridiculus autem Stapletonus est, qui in Promt. Catholic. Dom. 2. Advent. ita discurret: *Locus hic conveniens est tractandi de peregrinatione ad loca Sanctorum. Nam Christus hoc loco peregrinationem Judæorum ad Ioannem in deserto susceptam LAUDAT, & quidem propterea, quod exierint ipsi non ut AUDIRENT sed ut VIDERENT, ut ergo Sanctos VIVOS licet invisere, adire, revereri: ita etiam eorum jam defunctorum monumenta memorias & reliquias visitare ac ad ea peregrinari pium est & laudabile.* Resp. 1. Falsum est Judæos exiisse VIDENTI tantum Joannis gratiâ & non audiendi, cum Matth. 3. v. 6. expressè dicatur, exiisse homines ad Baptistam, tum ut baptizarentur, tum ut confiterentur atque sic Ioannem audirent absolventem. 2. Hoc tempore Christo propositum erat, non ut Judæos laudaret, sed potius ut Ioannem Judæis commendaret. 3. INTERROGARE non statim est LAUDARE, Christus hîc Judæos interrogat, ergone statim ipsorum laudat factum? 4. Non omnis EGRESSIO dicenda mox PEREGRINATIO, inter nos etiam itiones fiunt, ad videndum vel Cæsarem, vel hunc aut illum Principem, vel hunc aut illum Doctorem eximium &c. & tamen Papistarum peregrinationes modis omnibus improbamus. Imò omnes circumstantiæ testantur, Judæos hic non laudari sed vituperari potius propterea, quod ea in Ioanne quæsi verunt, quæ inventuri erant nunquam: Detestamur itaque Pontificiorum excursionses ad Sanctorum



monumenta, tum quia Deus certis locis alligatus non est, sed Domini est terra & plenitudo ejus, Psal. 24. tum quia tempus N. T. tale est, in quo veri Adoratores non Hierosolymis tantum vel Romæ vel alibi, sed passim in Spiritu & veritate rectè adorant, Ioh. 4. tum quia Christus vult ut fugiamus illos, qui ad certa nos loca remittunt, dicentes: Est hic, est illic, Matt. 24. tum quia Paulus vult ut puras manus attollamus in omni loco, 1. Tim. 2. cum non locus preces, sed preces locum commendent: tum quia talium peregrinationum nulla est utilitas, *Es fleugt gemeinlich eine Gans vbers Meer/vnd kömpt ein Sigack wieder/rc.*

Num arundinem quæ agitatur à vento? ] Multa sanè in Baptista commendare Christus poterat, utpote Stemmatis claritatem, parentum sanctitatem, ortus varia miracula &c. *Sed quæ non fecimus ipsi, vix ea nostra puto, dixit Præceptor Amorum.* Commendatur itaq; Baptista à propriis virtutibus, constantiâ, parrisiâ, sincérité, & aliis, quia verè nobilis & commendatione vel maximè dignus est, non ille, quem commendat & nobilitat sua villa, sed potius, quem nobilitat & commendat sua, cum Ioanne, VIR RUS, studeamus ergo virtuti & Laus debita nobis non deerit. Porro quoad ARUNDINEM, fuerunt, qui illam agnoscerent non pro levitatis & inconstantia, sed potius pro magnanimitatis ac fortitudinis Symbolo, hinc familia *Columnensium* Alexandri VI. Pontificis tempore, ex urbe pulsa donisq; omnibus ac honoribus exuta, Symboli loco usurpavit Arundinem ventorum statibus cedentem, cum inscriptione: *FLECTIMUR NON FRANGIMUR, Camerar. in Emblem. 95. Cent. 1.* Sed in scripturis arundo nota est vel fugacitatis ac fragilitatis, vel levitatis, lubricitatis ac instabilitatis, videantur loca, 1. Reg. 14. v. 15. Esa. 36. v. 6. Ezech. 29. v. 6. Vult itaque Christus innuere Ioannem non inconstantem, mobilem, lubricum, vacillantem ac volubilem esse, qui aliud stans aliud sedens, aliud liber & aliud captivus loqueretur, sed esse eum constantem, stabilem & sententiæ prorsus invariabilis, *An dem Orth/da Johannes tauft (wil Christus sagen) wechß kein Rohr/der Jordan leufft viel zu schnell/ in Jerusalem aber da gibts allenthalben vnsaubere Froschlachen / Teich vnd Psirzen / wovon Rohr / Schlamm vnd Rötterengerick mit hauffen sich finder.* ¶ Discamus: I. Quænam sint primaria boni Doctoris *weytheilpfer* ne videlicet Arundini similis reperiarur, h. e. i. fidelis concionator legitimam suam habeat vocationem, ne à seipso succrevisse dicatur, ut arundo, Rom. 10. Jerem. 23. Heb. 5.

*Doctus Ecclesia  
non fit arundo.*



2. radicans in Christo, Col. 2. v. 6. & charitate, Eph. 3. v. 17. solidum sibi fundamentum quærat, 1. Cor. 3. ne dicatur lacus inhabitare & humanarum traditionum lacunas, ut arundo, das wechset auff Rothigene Grund gem. 3. fidelis Doctor humilitati studens non superbiat arundinis instar, wie führet das Rohr so grosse Federbüsch? Wer sein rauches Hütlein angreiffe / der vermeynet es sey lauter Sammet vnd Seiden. 4. Constantiæ studeat & nec quovis favoris humani Favonio, vel mundanæ austeritatis Austro facile moveatur, ut Arundo, sed ne ventiles te in omnem ventum & ne eas in omnem viam, ita enim omnis peccator probatur, Eccl. 5. v. 11. 5. ex animo omnem detestetur hypocrisim, sit verè ac sincerè rectus, nec externè saltem rectitudinem ac pietatem simulat, ut arundo, quæ quidem calamus Græcis dicitur *ῥοδὸν τῆς καλῆς* à rectitudine, sed quot nodis illa rectitudo & bonitas impeditur? 6. sit, cum Baptista, vox clamantis, non verò fistula raucum edens strepitum, ceu Arundo facit, es gibet heiserse Weiffen. 7. fidelis Doctor spiritualem piscaturam strenuè promoveat, non impediatur ceu Arundo. 8. non sit arundo vacua, sed solidum reperiat, quodcunq; subest. 9. leniat & aperiat peccatorum ulcera, cum Lemnius in expl. herb. Bibl. c. 27. dicat, arundinis radicem, nauleosam quandam continere dulcedinem, unde apostemata ad suppurationem perducatur ac spicula spinasq; atq; aculeos corpori infixos extrahat. 10. Fidelis concionator habitaculum præparet S. S. Trinitati, non verò Cacodæmoni, qui dicitur fera arundinis, Psal. 68. v. 31. Sub umbra dormiens in secreto calami, Job. 40. v. 16. 11. puerilia sedulus doctor deponat & virum se præbeat, 1. Cor. 13. v. 11. fugiat puerilia desideria, 2. Tim. 2. v. 22. ne videatur: *Ludere par, impar, equitare arundine longa*. 12. non quærat propriam utilitatem sed Dei gloriam, ne competat illi adagium ab arundineto desumptum: *Wer im Rohr sitzt / schneid ihm selbst die besten Weiffen / etc.* Breviter: in scripturis mentio fit triplicis arundinis. 1. *Aromatica*, Exod. 30. v. 23. Esa. 43. v. 24. Jerem. 6. v. 20. 2. *Mensura*, quæ sex continebat cubitos, cum agri & fundi fune, ædificia verò calamo, mensurarentur, Ezech. 40. v. 3. Apocal. 11. v. 1. 21. v. 15. 3. *Palustris*, quæ ob inconstantiam famosa est. Sit itaq; bonus Doctor arundo, at non palustris, sed 1. *Aromatica*, quæ dicitur animalia venenata abigere & serpentes occidere, Athanas. in pass. & crucem Dom. tom. 1. p. 795. & ita Joannes verè erat arundo pellens genimina viperarum Phariseos, & Sadduceos, Matt. 3. v. 7. Luc. 3. v. 7. 2. sit bonus Do-



Et or arundo *mensoria*, attendat verbi Canonem, Galat. 6. quemadmodum Baptista, ceu calamus architectonicus firmus & solidus, quicquid inveniret obliquum, curvum, tumidum, & elatum per verbi canonem ita formavit, ut curva in directum verterentur, Esa. 40. v. 4. Facile etiam hæc accommodari possunt ad quemvis Christianum, *ausser der Gefahr sind wir alle Helden vnd starke Ritter* / sed in periculis videat quisq; qualem se gerat, firmum habemus & Propheticum sermonem, 2. Pet. 1. firmum etiam & immotum est salutis nostræ fundamentum, 1. Tim. 3. cur ergo nutaremus, fluctuaremus? Constantia verè virtus post lapsum Angelica est, ne igitur quovis doctrinæ vento circumfearmur, Eph. 4. v. 14. ne cuivis spiritui credamus, 1. Joh. 4. v. 1. ne, Ecce boli instar, indies nostram mutemus fidem, quia bonum est cor gratiâ stabiliri, Heb. 13. v. 9. justus constans est in omni opere ut Sol, stulti verò fortuna mutatur ut luna Syr. 27. v. 12. ut ergo verbum Dei certum est & sermo perspicuus, Syr. 33. v. 7. sic illi tuto innitamur, *wie Christophorus auff seinen Baum / vnd David auff seinen Hirtenstab* / ut enim domus probè colligata non dissolvitur; Sic & cor in consilii cogitatione confirmatum, Syr. 22. v. 19.

Sed quid existiis? hominem mollibus vestitum.]

Syrus: *Sin minus, quid existis visuri*. Porro quæ Matthæus dicit τὰ μαλακὰ μάλαια vestimenta mollia, ea apud Lucam dicuntur ἐνδοξὰ h. e. vestes quibus illustres & magnifici utuntur, sicuti Ahalveri principes ἐνδοξοὶ dicuntur, Esth. 1. v. 3. nec tantum vestimentorum mentionem Lucas facit sed & deliciarum, existentes in veste gloriosa καὶ τρυφῇ in luxu, reperitur hæc vox Prov. 19. v. 10. Stulto non est decora τρυφή, dem Warren *stehets nicht wol an gute Tage haben* / reddit Luth. Tales ergo, qui scilicet mollibus gaudent & delitiis, illos dicit Christus esse in domibus Regum, unde non immeritò hæc quæritur, quis propriè sit genuinus horum verborum sensus? Ambros. per vestem hinc intellexit Baptistæ corpus, quod animæ vestimentum est, illudque non molle sed rigidum dici, cum Joannis corpus non molliter fuerit enutritum. Alii putant hinc agi de mollibus & immodicis aulicorum vestibus, quas propterea multis reprehendunt dicentes: *Nemo putet, Fratres, in luxu & studio vestium non esse peccatum, nisi enim in hoc peccatum esset, Dominus in suo procuratore vestium utilitatem non laudaret, nec de luxu vestium divitem purpuratum reprehenderet, nec Petrus mulieres à veste preciosa revocaret, &c. Rud. Ardens.* Poterant hæc tol-



tolerari, si nimirum de abusu vestium Magnatum intelligantur, aliàs enim Aulicis præ aliis mundam concessam vestem esse, hoc satis testantur Exempla Josephi, Salomonis, Danielis, Estheris & aliorum. Sed nimum profectò à limine Pontificii aberrant, qui putant hìc loci monasticum probè fundatum esse Cilicium & vitæ Eremitarum austeritatem, quam ideo Patres amplexos Granatenfis dicit, ut non modo carnis petulantiam domarent, superbiam amputarent, sui amorem expugnant ac Christum imitarentur, sed & *ut Deo pro admisfis in vita criminibus SATISFACERENT.* Et Barradius tom. 2. p. 9. multis taxat Chytræum, Marloratum, Bucerum & Centuriatores, qui dixerint Baptistæ vestem ex pilis Camelorum bene fuisse contextam, similem iis, quas undulatas Lusitanè de Schamalote dicamus, & dicit hoc ideo afferi à Novatoribus, quia à Saccinea veste, à cilicio & carnis maceratione illos abhorre, malè illos pungere Camelorum pilos, attamen non eas habere vires, ut magnum Baptistam ornatisimo pœnitentiæ indumento possint exuere. Imò, Bellarm. tom. 4. in Orat. Scholast. inter illos, qui vestibus induuntur mollibus, recenset etiam Lutherum, quem ex c. 9. Apoc. dicit stellam de cœlo cadentem, cum Lutherus horribili casu ex Sacerdote Laicus, ex paupere dives, ex continente maritus, ex Monacho Politicus factus sit commutaritq; Monasterium in Palatium: *Pannosam vestem in SERICAM, victum sobrium ac tenuem in opiparas cœnas & prandia, &c.* Nos respondebimus I. in genere. 2. Granatenfi. 3. Barradio. 4. Bellarmino. Et quidem I. in genere, certum est propriè de vestitu hic non agi, quia Ministerii fidelitas in vestitu non consistit, nec legimus Christum & Apostolos Baptistæ habitum imitatos unquam, quod profectò fecissent, si in eo peculiaris quædam sanctitas consisteret. Proinde ut hic agitatio arundinis aliquid significat, ita & in vestitu molli allegoria est, & quidem talis. In domibus regum multi sunt, qui Magnatibus grata & dicunt & faciunt, unde ipsis *τιμιαι* est, h. e. dignitates, opes, delitiæ, &c. *Es gibt bey Hoff viel Jäger / welche Füchs fangen / vnd verkauffen den Kürschnern zwar die Bälq / den grossen Herrn aber die Schwânq / dafür erlangt der eine ein Hoff Suppen / der ander eine gute Schloß Zuppen / &* profectò ita ut plurimum agere illos oportet, qui in principum aulis magnificari cupiunt, hinc Ætopus interrogatus à Solone, qualiter quis cum Cræso loqui debeat? respondit: *ἢ ἡκιστα ἢ ἡδιστα; aut quam minimum, aut quam suavissimum;* & Parylatis, Cyri mater, dicere est solita, illi, qui



Regem admonere velit, opus esse: *Βουαι τοις ἰσχυροῖς, ὑψίσις vel mollibus verbis.* Sensus itaq; hujus loci hic est: in aulis quidem primas habet Adulator; secundas Syeophanta; tertias vero *ἰσχυροῖς* vel Invidus, juxta Menandrum, sed in Ministerio Ecclesiastico talia locum nullo modo habent, da müssen Johannis rauhe Camelshaar nicht in einen Fuchschwanz verwandelt werden / sed ut Plato novam Dionysii Siculorum Tyranni vestem his rejecit: *Effœminat à veste regi non possum, cum vir sim, virili stammate natus*; Laert. & Idnes apud Græcos, ob vestium luxum, MOLLES dicebantur: Ita etiam in Ministerio Ecclesiastico si quis parafitus sit, si quis verborum melliniis utatur, si quis pulvillos peccatoribus consuat, Ezech. 13. atq; sic Placentia dicat, Esa. 30. v. 10. is dicitur molli vestimento indutus, si autem veritatem concionator cum Baptista urgeat & *ἐναντίως & ἀνάγως* & tempestivè & intempestivè, is Cameli pelle horret, nec ei *ἀντιφῶν* conceditur, Er hat bey der sieben Warheit gar wenig guter Tag / sed quicquid sit, si hominibus placeremus, Christi servi non essemus, Gal. 1. sed canes muti, Esa. 56. & vulpes non attingentes fracturas nec sepientes sepem, Ezech. 13. v. 5. attollamus ergo vocem ut tubam, Esa. 58. & imitemur Diogenem, cui cum Aristippus Dionysii parafitus diceret: *Si posses uti Regibus, non cibaveris oleribus,* Respondit ille per inversionem satis aptam: *Si posses contentus esse oleribus, non esses Canis regius.* 2. Granatensem quod attinet, quomodo ille probabit, quod Cilicium & vitæ austeritas satisfaciât pro peccatis? ubi quæso unquam Johannes in sua vel veste duriori vel abstinentia vitæ æternæ meritum ac peccatorum suorum remissionem posuit? imò, ubi ob vitæ austeritatem vita æterna se dignum censuit, qui post octiduum dicit: Ego non dignus ut solvam corrigiam calceamentorum Messia? 3. Barradio respondemus, si vel maximè concedendum esset Johannis vestem peculiare fuisse *ἑνδομῶν*, non tamen sequetur nobis etiam ejusmodi vestimentorum generè utendum, ratio hæc est, erant in Scripturis Johanni assignata & Eremus, Esa. 40. & abstinentia in victu, Luc. 1. v. 15. & Eliæ Spiritus ac virtus, Luc. 1. v. 17. his igitur prædictionibus vestis Baptista conveniens erat, Nos autem cum ejusmodi fundamentum non habeamus, Ioanni vestimentum suum nec detrahimus, nec detractum volumus, sed ei Soli illud relinquimus, quemadmodum Christus & Apostoli fecerunt, & si Ioannis indumentum usq; adeò ornatisimum fuit, cur nec Monachi, nudos & solos Camelorum pilos adhibent?



bent: Bellarminum quod attinet, probet ille Lutherum pannosam vestem mutasse in sericam, nihil vel serici, vel holoserici de Luthero legimus, Elector Saxoniz Fridericus dono dederat illi pannosam vestem, sed quantas Lutherus gratias agit? quoties illa veste se quasi indignum dicit? verba ita habent: *Auff daß Ich E. C. F. G. danckbar sey/so wil Ich den Rock E. C. F. G. zu Ehren tragen/wiewol er mir doch ja zu köstlich ist/ vnd wo es nicht E. C. F. G. Beschenet were / Ich nimmermehr solchen Rock tragen könnte / Bitte derwegen E. C. F. G. wolten harren / bis Ich selbst klage vnd bitte / &c. vide Tom. Ien. 4. p. 467.* Sed fortassis erravit Bellarminus in titulo, & sub Lutheri nomine taxare voluit fastum suorum Pontificum, Cardinalium, Episcoporum & aliorum, qui pannosas vestes usq; adeo in aurum, argentum, holosericum & gemmarum pondus mutarunt, ut Clemens V. ex Corona Papali unum amiserit carbunculum, qui sex millibus auri florenis constabat, unde asstimare licet, quanti constet tota Pontificalis mitra, undiquaq; gemmis pretiosissimis stipata. *Scio sub purpura Deo plures placuisse & contra plures sub sacco Deo difficuisse: Sunt enim qui in purpura non efferuntur & sunt qui se vestitos sacco gloriantur, ideo magnus verè est, quem nec saccus dejicit nec purpura extollit: Talis erat David, talis Ioannes Baptista, quoniam nec ille sub purpura, nec iste sub cilicio erat arundo à ventis agitata, Rud. Ardens.*

Imo qui plus est quàm Propheta. ] *Primarium hoc erat quod Judzi in Joanne spectabant, eum scil. Prophetam esse, concedit itaque hoc Dominus & dicit: vñ, utiq; dico vobis Propheta est, & quidem Propheta propterea fuit Joannes, quia 1. in Spiritu summi illius Prophetæ Eliæ venit, quia 2. futura Prophetæ instar revelavit, Matth. 3. v. 11. 3. quia vitam vivebat propheticam, at cur dicitur Joannes plus esse quàm Propheta, & quidem *Ἐπιστέγῃ & præstantior* Prophetâ, vel ut *Verf. Reg. habet: Abundantiùs* Propheta? Fit hoc: 1. quia *Propheta prius quàm homo fuit, Chrysof. hom. 27. Oper. imperf.* 2. quia in eo Prophetarum finis, *Matt. 11. unde Prophetia complementum* dicitur à Macario *hom. 28.* 3. quia reliquorum Prophetarum vox fuit: *Videbo eum, sed non modò, intuebor eum, sed non propè, Num. 24. v. 17.* unde illorum vaticinia à longè Messiam salutarunt, *Heb. 11. v. 13.* Sed Ioanni soli licuit & prædicere Christum & videre: & prophetare & prophetato præcurrere, *Greg. hom. 8.* 4. quia hunc Prophetam alii prædixerunt Prophetæ, *Esaïas* quidem annis ante Baptistæ nat. vel 1100. *Malachias* vero annis  
plus*



plus 400. 5. ut in majore dignitate sunt illi, qui proximè antè egum currum equitant, sic etiam Ioannes Christi adventum proximè præcedens, majore fulsit gratiâ, Chrylost. hom. 38. 6. tandem, quid aliis obtigit prophetis, quod etiam in Iohanne non obvenerit & fortassis majori splendori, cum *Mose* locutus quidem Iehova est, at de Messia venturo, cum Baptista autem cœlitus **D E U S** Pater locutus est de Messia præfenti, Matt. 3. *Elias* vidit ignem ex cœlo delabi, Iohannes videt flammulam illam cœlicam Spiritum S. descendere. *Ieremias* dicitur in Prophetam electus ab utero, Ier. 1. Ioannes in matris alvo Spiritu S. repletus est, &c. ¶ Discamus ministerium N. T. longè præstantius esse veteris T. Sacerdotio, cum ibi umbra, hic corpus; ibi messias exhibendus, hic exhibitus, ibi absens, hic præfens, quando itaque præstantior Iohannes Prophetâ est, tanto nos omnes beatiore sum<sup>us</sup> iis, qui in V. T. vixerunt: si enim propriè loqui velis, *Wir sind mit Christi Geist gesalbet / daß waren jene nicht: Wir sind mit Christi Wort getröstet / daß waren jene nicht: Wir sind mit Christi Fleisch gespeiset / daß waren jene nicht: Wir sind mit Christi Blut geträncket / daß waren jene nicht: Wir sind mit Christi Gerechtigfeit bekleidet / daß waren jene nicht: loquimur de Christo exhibito, per exhibendum enim illos etiam, ut nos, Salvatos novimus ex Act. c. 19. Ach wenn wir recht bedächten / was ein wahrer Christ ist im Newen Testament / utiq; multoties exclamaremus: Beati oculi, videntes quæ nos videmus, &c. Luc. 10. Hæc licet ita se habeant, vana tamen est gloriatio Sacrificulorum missaticorum, qui putant se Baptistâ longè sanctiores esse, cum ipsi corpus Christi consecrent, cum manibus illud tractent, cum id manducant, cum patri victimam offerant, qua omnia cum Baptista fuerint neta, ipsos procul dubio Christo viciniore esse, Coster. conc. p. 69.*

*Præstantia  
Christianorum.*

Hic est de quo scriptum. ¶ Allegat Dominus Malach. c. 3. v. ubi observanda quædam discrepantia. In Malachiâ enim dicitur: *Mittam angelum meum qui viam parabit* <sup>וַיִּבְרָא</sup> *Lephanai ANTE ME*, Matth. autem dicit, qui præparabit viam ANTE TE, sed discrepantia ita tollitur: In Malachia de seipso loquitur ipse Messias, in Matthæo autem introducit Deus pater de filio loquens & ita Baptista missus est & à Patre & à Filio. Fuerunt autem referente Cyril. l. i. in Joh. c. 17. qui putarunt Baptistam angelum fuisse non officio sed naturâ, verum satis superq; illos refutat dictum: *Erat HOMO missus à Deo, cui nomen Ioannes Joh. i.*



v. 6. fuit ergo Baptista Angelus non natura societate, sed officii dignitate, ut loquitur Hier. quæst. in Matth. Pontificii licet hoc credant & concedant, addunt tamen Johannem dici Angelum propter vitam Angelicam & PLANE sanctam, qua etiam angelicam SUPERARE sanctitatem visus sit adeo, ut Angelus à Ioanne Baptista non sustinuerit adorari suspiciens in eo culmen Apostolicam & angelicam puritatem, Apoc. 19. & 22. Coster. Vide autem per Deum quàm hospites planè & peregrini in Bibliis sint Iesuitæ! ideò dicunt pro Ioanne Evangelista, Ioannem Baptistam, ab angelo esse prohibitum, ne se adoret, interim Scriptura sub peccatum omnes concludit, atq; etiam Ioannem, Rom. 3. & 11. Ioh. 3. Iob. 14. &c. nec nomen Angeli Ioannem ab hac labeliberat, cum Deilegatum esse & peccatorem esse apud omnes sanctos, in hac quidem vitâ concurrat. ¶ Tandem pro æternâ Christi Deitate & essentiz cum Deo patre identitate, ita possumus argumentari contra Photinianos: Ioannes dicitur missus à Deo, Ioh. I. v. 6. atqui Mal. 3. v. 1. Messias ita loquens introducit: Mitto (ego) angelum MEUM ante faciem meam, qui viam parabit ante ME, E. Christus est verus & æternus Deus eiusdem cum patre essentiz, cum Mattheus pro Filio substituat Patrem eadem verba ita repetentem: Mitto angelum meum ante faciem tuam, qui viam parabit ante TE, &c.

## Dominica IV. Adventus,

Evangelium, Ioh. 1.



**H**oc est testimonium Johannis, quando miserant Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum. Tu quis es? Et confessus est, & non negavit. Et confessus est, inquiring: Non sum ego Christus. Et interrogaverunt eum,

N

Quid